





18
ORDINIS ICTORVM IN ACADEMIA VIADRINA

H. T. PRO-DECANVS

IOACHIM. GEORG. DARJES

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE

DIFFERENTIA IVRIS

AEQVI ATQVE STRICTI

DES BILLIGEN UND STRENGEN RECHTS

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

ET

SOLEMNIA INAVGVRALIA

CANDIDATI CLARISSIMI

FRIDERICI GEORGII BRAVN

FRISO-ORIENTALIS EMDANI

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IX. MART. MDCCLXXXV.

HORIS CONSVETIS

CELEBRANDA INVITAT.

TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



ORDINIS ICTORVM IN ACADEMIA VIATRINA

II. T. PRO. DECANVS

IOACHIM. GEORG. DARLES

PRÆMISSA COMMENTATIONE

DIFFERENTIALI IVRIS

ALON. ABBAT. STICHT.

HESS. ABBA. UND STADT. RATH.

DISSELTATIONEM HANOVARIEN.

BOLLEND. IN. V. S. S.

CARDINAL. CLASSEM.

FRIDERICI GEORGI BRAUN

IN. AMPLISS. H. N. S. S.

PER. H. N. S. S. H. N. S. S.

H. N. S. S. H. N. S. S.

H. N. S. S. H. N. S. S.

FRIDERICI GEORGI BRAUN
& TYPOGRAPHICO WINTERHAGEN





I.

De differentia Iuris aequi atque stricti commentari ob diuersas rationes placet. Multa quidem interpretes iuris ciuilis de ea differere solent, sed non vbique ea perspicuitate, quae iis satisfaciatur, qui de controuersis, in quas res ea deducta est, constituere voluerunt. Attentabimus an differentiam illam distinctius possimus euoluere.

II.

Plerumque dicitur, ius aequum versari in officiis erga alios, quae officia humanitatis vocantur, et ius strictum in officiis erga alios, quae officia necessitatis acceperunt nomen. Sed dubiae mihi sunt datae definitiones, *primo* enim ius definiunt atque determinant ex relatione obiectiua. Ea vero relatio, quod ex logicis notum est, non dat differentiam rerum internam, differentia vero, de qua hoc loco sermo est, sine vlla exceptione sit interna. *Deinde*, positis hisce definitionibus ea non possunt explanari, quae permulti Doctores, quos ut oracula iuris veneramus, de aequitate atque iure, seu de iure aequo atque stricto docuerunt.



III.

GOTHOFREDVS in Comment. ad Codicem Theodosianum Tom. IV. pag. 332 f. Rescriptum CONSTANTINI Imp. *Et si veteris iuris definitiones in iudicio petitori eius rei, quam petit, necessitatem probationis dederunt, tamen nos AEQVITATE et IVSTITIA moti, iubemus, vt, si quando talis emerferit causa, in primordio, iuxta regulam iuris, petitor debeat probare, vnde res ad ipsum pertineat: sed si deficiat pars eius in probationibus, tunc demum possessori necessitas imponatur probandi, vnde possideat, vel iure teneat: vt sic veritas examinetur, quo vocabula AEQVITATIS et Iustitiae coniunguntur, casu, qui sequitur, illustrauit: Rem aliquam possides, tu Aduocatus: ego meam esse contendo, quia eam a me acceperis iniusto titulo, ex pacto videlicet de quota litis. In primordio equidem litis dominii probationem implere cogor; sed quid fiet, si in probatione deficiam? sane, ad eluendam adhuc suspicionem viro bono alienam, et sic vt veritas examinetur, quidni AEQVUM fit, te titulum possessionis tuae edicere? Qua ex illustratione efficitur, vt a veteribus fundamentum diuisionis, qua ius vel strictum vel aequum fit, non in relatione obiectiua, sed in eo positum, vtrum res secundum leges extra collisionem, an secundum leges in collisione consideratas decidenda.*



IV.

Videntur hocce fundamentum ante oculos habuisse BRISSONIVS de verb. sign. voce aequitas, et HAN ad WESENBEC. de I. et I. n. 18., ille inquit, inter ius et aequitatem hoc interest, ius est quod omnia recta et inflexibilia exigit: Aequitas est, quae de iure multum remittit. Et hic: Aequitas est iuris scripti per interpretationem aut emendationem ad facta ex vera ratione accommodatio. Quoties enim decisio controuersiae fiat secundum leges extra collisionem consideratas, toties decisio consistere debet in puncto, et accommodatio ad facta non fit per iuris scripti interpretationem aut emendationem ex vera ratione. Quoties vero decisio fiat secundum leges in collisione consideratas, toties res non consistit in puncto, sed personae res atque actiones aestimantur, atque inter se comparantur, ideoque de iure nimirum stricto multum remittitur, et accommodatio fit ex vera ratione per emendationem rectae rationi non aduersam. Qua ex causa IOANNES SICHARDVS ad Lib. 1. Tit. 3. leg. 8. Cod. pag. iii. addidit: Sciendum est, rigorem iuris, id est, legem extra collisionem positam, appellari ius strictum: quod veteres dixerunt, summum ius esse summam iniuriam. Aequitas autem est iustitia dulcore misericordiae temperata, seu quando commissis regulis iuris statuitur aliquid ad dictamen rectae rationis, ideoque ea ratione, qua ob collisionem fieri potest.



V.

Consentit IOANNES VOETIVS, qui in *commentario ad Pand. Tom. 1. p. 4 f.* hac de re, ea, quae sequitur ratione locutus est: Aequitatem legibus et iure scripto comprehensam esse, nemo ignorare potest, qui modo legum requisita perspexerit; sic ut pro iure, quod in ipsis obtinet rerum argumentis, praegnans aequitatis praesumptio militet, et mutatione leges indigeant, quoties in iis sese prodit iniquitatis manifestae labes. *L. 9. c. de legibus.* Sed cum non omnes articuli singularim iure scripto comprehendi possint, *L. 12. et 13. ff. de legibus*, et novae quotidie formas edere natura deproperet, nec rara emergant negotia, necdum legum definitionibus determinata *L. 2. §. 18. C. de vetere iure enucleando.* Sic ut praetermissa vel interpretatione, vel saltem iurisdictione iudicis supplenda sit, ex manifesta legum sententia ad similia procedendo, quoties eadem utilitatis ratio ac coniectura videtur subesse, necesse erit, in hisce definiendis AEQUITATEM observari; eamque STRICTO praeferrere IVRI. Quo pertinet praecipue illud Imperatoris in *L. 8. c. de iudiciis*, quod nempe placuerit, in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris rationem. nec non PAVLI in *L. 2. ff. de aqua et aquae plu. arcend.* dum actionem vilem in facti specie ibidem proposita concedens, addit, haec aequitatem suggerere, etsi iure deficiamus. Et quae reliqua.

VI.



VI.

Applicabo haec ad formandas *de iure aequo* atque *de iure stricto* definitiones, obseruato tamen aureo ARISTOTELIS monito, quo innuit, applicaturo se ad formandam diuisionem, ante omnia genus proximum eius, de quo sermo est, atque fundamentum diuisionis perspecta esse oportere. Hoc ut cum felici successu praestarem, primo notare debeo ambiguitatem nominis *iuris*. Sumitur nimirum et pro *attributo rei*, quo sensu a Germanis dicitur: *Recht seyn*, et pro *qualitate personae*, quo sensu dicitur: *ein Recht haben*. Porro significat et *ius permissiuum* et *ius praeceptiuum*. De iure permissiuo hoc loco non esse sermonem, sed de praeceptiuo, quod simpliciter *ius* vocatur, per se patet. Primo loco, ad explicandam differentiam, de qua hoc loco sermo est, sumatur *ius pro qualitate personae*, ut genus diuisionis proximum, rationem, ex qua hoc cognoscitur, post haec dabo. Fundamentum diuisionis non esse relationem obiectiuam supra demonstratum est. Ergo ad hoc detegendum, euoluamus fontem, ex quo tale ius legitime fluit. In §. 152 f. *Edit. sept. Iurisp. vniuersalis* satis, ut opinor, demonstraui, vnicum fontem eiusmodi iuris esse obligationem seu officium eius, qui tale ius sibi vindicat, sit aut officium erga se ipsum aut erga alios. Manifestum itaque est, fundamentum huius diuisionis

nis



nis non esse, nisi qualitatem eiusmodi obligationis seu officii. Quare, cum ea qualitas consistat in eo, utrum officium, de quo sermo est, in se, seu extra collisionem, an ut tale, quod posita officiorum collisione maneat officium, considerandum; sequitur, ut duo sint eiusmodi iuris genera; *alterum*, quod oritur ex tali obligatione seu officio in se considerato, *alterum*, quod oritur ex tali obligatione seu officio, quod posita officiorum collisione maneat officium. Ex iis itaque, quae supra enumeravimus, manifestum est, illud esse *iuris stricti*, et hoc, *iuris aequi* naturam atque definitionem, quoties nimirum sermo est, de iure pro qualitate personae sumto.

VII.

Expeditis illi licebit nunc quoque definitiones de *iure aequo* et *iure stricto* formare, quoties sermo est de iure pro attributo rei sumto. Facilius hoc est. Eius enim iuris est, quod ratione obiecti conveniens atque necessarium, hoc vero legibus indicatur, quae iterum in se et quatenus sunt in collisione spectari possunt. Ideoque hac ratione *iuris stricti* est; quod per leges in se positas, et *iuris aequi*, quod per legum collisionem ratione obiecti, de quo sermo est, conveniens atque necessarium. Quum vero, quid stante legum collisione conveniens atque necessarium maneat, ex collisione obligationum atque officio-



officiorum eius, qui ius sibi vindicare cupit, iudicandum; manifestum est, diuisionem iuris in aequum et strictum origine ipsa solummodo valere, quoties fit sermo de iure, pro qualitate personae sumto. Quam ob causam §. 3. *Inst. de Iust. et Iure* primum iuris fundamentum in eo, *honeste viuere*, positum est. *Honeste viuere per L. 16. ff. L. 38. ff. de operis libertorum*, idem est, ac agere sine turpitudine, id est, perfecta agere ratione. Ideoque id maneat posita collisione iuris, quod ab eo, qui ius sibi vindicat, sine turpitudine seu perfecta ratione fieri potest, Quae est regula quam sana ratio posita collisione in excipiendo praescribit.

VIII.

Ea, quae dixi, a veritate non aliena esse, corrobore canone, de quo SICHARDVS loco supra citato: *Aequitas praesferenda est rigori*, id est: *ius aequum praesferendum est iuri stricto*. Quamobrem iudici quoque praescriptum est *L. 4. §. 1. in fine ff. de eo, quod certo loco dari oportet*, vt aequitatem semper ante oculos habere debeat. Sumas definitiones posita de differentia datas, et facile perspicies canonem illum formati ex definitionibus legitimam esse consequentiam. *Bonum enim ab aequo sciungere*, neque ius civile, neque ratio naturalis patitur. Iam vero, quod in se spectatum *bonum*, in collisione malum esse incipere potest, propter quam tunc etiam

b

non



non ultra bonum erit. Sed bonum manet, quod posita ea collisione magis honestum atque perfectum. Aequum igitur ei, quod per se bonum, praefendum est. Eo itaque in casu id, quod iuris stricti definit esse iuris, et iuris manet, quod iuris aequi.

IX.

Haec sunt, quae praefationis loco multas inter occupationes conscribere, mihi in mentem venerunt. Iam more maiorum vitam CLARISSIMI CANDIDATI NOSTRI non meis sed ipsius verbis exponam. Ita vero de se scribit: *Friedericus Georgius Braun* patriam nactus sum Emdam, Frisiae orientalis celeberrimam urbem. Viuere ea in vrbe cepi anno post reparatam per Christum salutem MDCCLXII. die XI. Decembr. Patrem habeo *Dauidem Braun*, virum probum, Borussiae Regi a rebus bellicis commissarium. Mater mihi fuit *Theda Beata Schulten*, ante aliquot annos morte acerbissima mihi erepta, cuius memoriam summa, quoad viuam, pietate et amore prosequar. Prima mea aetate scholam publicam frequentavi, et institutione priuata in aedibus paternis vsus sum. Plurimum autem me debere profiteor institutioni *Oepkenii* augustanae confessionis Emdani pastoris, quem hebraicae, graecae latinaeque linguae et philosophiae doctorem habui. Proinde patria vrbe relicta, Halam petii, vbi per duos annos, moderantibus *Semlero*, *Noesselt*, *Knappioque* viris in
hoc



hoc eruditionis genere felicissimis, theologiae incubui. In philosophia ibi praeceptorem habui *Eberhardum*, in physica et mathematicis disciplinis *Karstenium*, in historia ciuili *Mangelsdorffium*. At cum patri videretur vtile, vt praeter Academiam halensem, aliam adhuc peterem, ad Academiam Georgiam Augustam, quae Göttingae floret, profectus sum. Vfus sum ibi maxime *Federo* et *Püttero* doctoribus. In patriam reuersus statim in albo Theologiae candidatorum adscriptus et paullo post in Frefiano sacello concionator sum institutus. Sed cum de veritate eorum, quae in patria docere me oportebat, me non certum reddere potui, theologiam misi, et me in hanc academiam contuli. Per duorum annorum spatium a principibus huius memoriae hic doctoribus, *Darjes*, *de Hackemann*, *Vhlio* et *Madihn* iuris principia et fontes accepi, qui quidem omnes, si a b. *de Hackemann* disceffero, per Dei gratiam viuunt superstites. Maxime *Darjes* et *Vhle* consiliis suis studia mea adiuuarunt, quorum bibliothecarum instructissimarum thesauris vsus sum, et quibus pro innumeris beneficiis, in me liberaliter collatis, immortales gratias ago, agamque, dum viuam.

Tandem CANDIDATVS NOSTER diligentiae et profectuum suorum rationes publice demonstrare instituit. eumque in finem, vt adconsueta examina admittatur, modeste petiit. In vtroque autem exa-



mine et erudita textuum solutione, et solida ad quaestiones propositas responsione scientiam suam in arte boni et aequi nobis satis probavit, in publicum igitur, ut prodiret, lubenter annuimus. Et quemadmodum die IX. Mart. suam inauguralem dissertationem de BONIS COLLEGII DISSOLVTI CUI CEDANT, sine Praefide publice defendere constituit. *Serenissimum Ducem MAXIMILIANVM IVLIVM LEOPOLDVM, Magnificum Academiae Rectorem, Illustrissimos Comites, Patres Academiae venerandos, Proceres ciuitatis, omniumque ordinum hospites et commilitones Generosissimos atque Honoratissimos*, ea, qua par est, obseruantia rogo, ut huic certamini atque solemnitati splendorem sua praesentia adferre haud dedignari velint. P. P. die VI. Mart. An. MDCCLXXXV.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle
007 520 611


3



W18







18
ORDINIS ICTORVM IN ACADEMIA VIADRINA

H. T. PRO-DECANVS

IOACHIM. GEORG. DARJES

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE

DIFFERENTIA IVRIS

AEQVI ATOVE STRICTI

DES BILLIGEN UND STRENGEN RECHTS

AD

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

ET

SOLEMNIA INAUGVRALIA

CANDIDATI CLARISSIMI

FRIDERICI GEORGII BRAVN

FRISO-ORIENTALIS EMDANI

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IX. MART. MDCCLXXXV.

HORIS CONSVETIS

CELEBRANDA INVITAT.

TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

